

§. I.

Mens humana ex natura sua simplicissimam agendi patientique facultatem habet. Quae se exerit & intelligendo & volendo. * Intellectus ex accuratiorum sententia complectitur eas facultates conatusque omnes qui in rerum repraesentationibus varie occupantur: Voluntati operationes ex boni malique perceptione ortae tribuuntur. Qua ratione intellectui competunt actiones & passionis omnes, quae ideas varie tractandas respiciunt, utpote actus sensationis, imaginationis, memoriae, reminiscentiae, ingenii, iudicii seu vis abstrahendi & attentionis; Perceptiones item omnes s. boni aut mali s. indifferentes. Voluntati nihil reliquum manet praeter inclinationem ad bonum aut reclamationem a malo, harumque incrementa per gradus varietatemque adfectuum & ipsas actiones.

§. II.

Hae autem definitiones non sunt arbitrarie assumptae sed consensum habent totius fere antiquitatis. Si enim Epicurum excipias, qui gratas atque ingratas perceptiones ad adfectionem seu passionem & per consequens ad voluntatem retulit ** pauci erunt, qui boni atque mali repraesentationes intellectui denegaverunt. Praeterea nullam causam video, cur hae perceptiones iucundae & iniucundae ex aliarum numero eximantur. Nam licet illas statim sequatur adfectus voluntatis: id tamen non probat adfectum & boni malique perceptiones esse eadem aut pari iure ad voluntatem referenda. Quae enim se consequuntur & sunt connexa,

A 2

possunt

* Hic a statu controversiae excludimus eos, qui voluntatem pro peculiari substantia in corde residentem habent ut Andr. Rudiger de sensu veri & falsi dissert. prooemial. §. 13. ff. p. m. 5. ff. Horum enim sententia alio modo refutanda est, & firmiter adhuc argumentis probanda, si ad sensum aliorum mereri debeat.

** Conf. Canonicam eius, quae ubique fere occurrit. Quanquam Andr. Rudigerus Instit. Erud. p. 24. edit. 3. per passionem hanc, sensationem internam censet intelligendam. Quod tamen contra mentem Epicuri esse celeb. Io. Georgius Walchius Parerg. acad. p. 550. profiteretur.